



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

§. 98. Ego in hoc natus sum. v. 37.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

Domine mi Rex fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes, regemque ita ut nosmetipsos bene semper coram te regamus, ut ad regnum eam perveniamus, quod non ab hominibus eorumque suffragiis accepisti, sed à patre originaliter hereditasti, & postea homo factus, tuis bene factis multipliciter promeruisti.

§. 98. *Ego in hoc natus sum. v. 37.*

1. Ex Patre meo caelesti per æternam generationem, in similitudinem suo identitatem naturæ procedens. 2. Ex Maria Virgine, de stirpe Regia homo natus, Luc. 3. Ex S. Iosepho, Patre meo nutritio, qui nullam aliam prolem habuit, & ex regum prosapia Matth. 1. descendit, natus forma Rex, quia hæres sum illius. 4. inauguratus sum Rex die Palmarum, ne natiuitas sine te titulata posset censeri.

Domine Iesu Christe, ego cum Nathanaele admirans te libenter ex corde dico, & acclamo: Tu es Filius Dei, tu es Rex Isaac.

§. 99. *Et ad hoc veni in mundum. v. 37.*

Antea se ostendit esse natum Regem, nunc etiam meritis suis se regiam dignitatem & regnum obtinere demonstrat, & quidem longe excellentiore modo quam alii, qui regna promeruerunt, nam ego, ait, illa intentione natus sum, ut regnum acquirerem mihi, ceteri, qui regna obtinuerunt, cum nascebantur, vel ante natiuitatem suam non poterant intendere quia usu rationis carebant, ego sapiebam, & iudicabam, & volebam, & operabar.

Domine Iesu merito de te dixerunt missi à Principibus, cum te audierunt, nunquam sic locutus est homo, quia nunquam etiam sic fuit ullus homo, sicuti tu fuisti homo, & operari sequitur esse, cuiusque rei, ut scholæ Philosopherum loquuntur.

§. 100. *Ve testimonium perhibeam veritati. v. 37.*

Quod regnum, quomodo id promereri intenderit, & quibus modis: nimirum docendo veritatem, & verbis & exemplis. Ita enim Christus ingreditur in animos hominum, & incipit in eis regnare, dum veritatis dogmatibus obsequuntur.

Domine Iesu iam valde clare ostendis regnum à te intentum principaliter, esse spirituale regnum in animabus, dum earum intellectum per evidentem credibilitatem propositionum tuarum tibi concillas, & fidem inducis, per quam mox in cordibus nostris regnas, eijciendo tenebras, & vitam